

CANONES ADAMNANI.

(Mansi, Concil. tom. XII, p. 154.)

I.

Marina animalia ad littora delata, quorum mortes nescimus, sumentia sunt sana fide, nisi putrida.

II.

Pecora de rupe cadentia, si sanguis eorum effusus sit, recipienda; sin vero, sed fracta sunt ossa eorum et sanguis foras non fluxit, refutanda sunt.

III.

Ut morticina sunt in aquis extincta, quorum sanguis intrinsecus latet, a bestiis capta animalia et semiviva bestialibus hominibus sumenda sunt.

IV.

Animal semivivum subita morte præparatum abscissa aure vel alia parte, morticinum est.

V.

Carnes suille si morticinum comedant, crassa

A vel pinguis ut morticinum quo pinguescunt sues refutandæ sunt. Cum vero decreverint, et ad pristinam maciem reversæ sunt.

VI.

Si vero una vice vel in morticinum manducaverint, post hujus excessum de ventre eorum sana fide sumendæ sunt.

VII.

Sues carnem vel sanguinem hominis gustantes illiciti (sic) sunt semper. In lege enim animal cornupetum, si hominem occiderit, illicitum e t.

VIII.

Equus ac pecus si percusserit hominem in agro civitatis suæ, dimidium uncie reddet pro eo homini B cujus sanguis effusus est. Si percusserit homo animal in agro suo, non redditur pro eo.

ANNO SÆCULI VIII INCERTO.

CRISCONIUS

AFRICANUS EPISCOPUS.

NOTITIA HISTORICA IN CRISCONIUM.

(Fabric. Bibl. med. et inf. ætatis.)

Cresconius sive *Crisconius*, episcopus Africanus C circa an. 570, scripsit *Breviarium Canonum* ad episcopum Liberinum per titulos ccc (in codice Helmstadiensi [a] cccm) digestum ex canonibus apostolorum, et Nicænis, Ancyranis, Neocesariensibus, Gangrensibus, Antiochenis, Laodicensibus, Chalcedonensibus, Sardicensibus, Carthaginiensibus, nec non ex decretis præsulorum Romanorum, quæ primus Canonibus sociavit ecclesiasticis primique ex illis Siricii, Innocentii, Zosimi, Cælestini, Leonis et Gelasii. Editum primum est hoc Breviarium a Petro Pithæo ex codice ms. ecclesiæ Trecensis, sive Tricassinæ, una cum *Fulgentii Ferrandi*, laudati Cresconio, concinnata circa annum 450 breviatione Canonum, Parisiis 1538, 8°, deinde ad calcem Codicis canonum Ecclesiæ Romanæ, ibid. 1609, 8°. Inde cum *Dyonisii Exigui* (circa an. 500) Codice canonum ecclesiasticorum Christophorus Justellus. Paris. 1528, 8°. Hinc post Antonii Dandini Alteserræ (Flavii Fran-

cisci de Haute-serre a Salvaizon) editionem, cum notis et *Fulgentii Ferrandi* breviatione, Augustoriti Pictonum, 1630, 4°, in qua *indiculus* breviationis antiquus cum notis annectitur: et post editionem Petri Francisci Chiffetii S. J. Divione 1649, 4° emendatius recusum est. (b) hoc Cresconii Breviarium in tomo I Bibliothecæ Canonice Guil. Voelli et Henr. Justelli, pag. 458, Paris. 1661, fol., ubi etiam duplices indices harmonici in Ferrandum et Cresconium exstant, et in appendice præterea, pag. 34, 142, ejusdem Cresconii Concordia Canonum, Canones ipsos et decreta eodem ordine per titulos trecentos descripta exhibens ex codice ms. Bibl. Claramontanæ S. J. Recusum deinde Breviarium quoque in Bibliotheca Patrum edit. Lugd. tomo IX, ex Chiffetii editione: et ex Pithæi editione cum codice Canonum Ecclesiæ Romanæ et Petri Pithæi Miscellaneis ecclesiasticis, pag. 316, Paris. 1687, fol. In codice ms. Patrum Oratorii Romani. Bibl. Valliscellanæ

(a) Vide B. Gebhardi Theodori Meieri historicam relationem de Collectionibus Canonum, § xvii.

(b) Vide Oudinum, tom. I, pag. 468.